


CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM
DE SACRA LITURGIA

NOTITIAE



IANUARIO-APRILI 1965

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

Resp.: *Instructio* non loquitur de « centro mathematico » ecclesiae, sed tantum de « centro ideali », uti dicitur, « quo totius congregationis fidelium attentio sponte convertatur » (n. 91).

8. Utrum liceat, donec ecclesia opportune reficiatur, collocare altare portatile, forma simplicis mensae, ante altare maius fixum ex marmore pretioso confectum, ut adhibeatur pro celebratione Missae versus populum?

Resp.: Affirmative, dummodo a) spatium vere notabile inter utrumque altare intercedat; b) optandum vero est ut altare portatile extra sanctuarium ponatur, quo autem in casu, circa se habeat spatium sufficiens ad modum presbyterii, ab aula ecclesiae opportune distinctum.

Ad n. 92:

9. Aliqui sacerdotes putant optimum locum pro celebrante et ministris esse retro, in abside; sed ne altare illos celet, dicunt sedem debere esse in alto positam, saltem tribus gradibus, ut populus eos videre possit et appareat celebrantem vere praesesse. Potestne haec opinio sustineri, praesertim si in ipsa abside ponatur thronus ad exponendam SS.mam Eucharistiam?

Resp.: Ad primam partem, affirmative, iuxta *Instructionem* n. 92.

Ad alteram partem: si in abside exstat tabernaculum, vel ponitur thronus ad exponendam SS.mam Eucharistiam, sedes praesidentialis ponatur, parumper elevata, ad latus altaris.

Ad n. 95:

10. Cum celebratur Missa in altari, posito inter altare maius et populum, potestne asservari SS.ma Eucharistia in altari maiore, etsi celebrans terga vertat SS.mae Eucharistiae?

Resp.: Affirmative, dummodo a) spatium vere notabile inter utrumque altare intercedat; b) tabernaculum in altari maiore sit tali altitudine collocatum, ut caput celebrantis, qui stat ad pedes altaris intermedi, superet.

11. Utrum tabernaculum in latere sinistro altaris versus populum poni possit et in alio latere crux vel liber sacrae Scripturae?

Resp.: Negative. Attendendum est potius ad art. 95 *Instructionis*, secundum quem « in casibus peculiaribus ab *Ordinario loci probandis* »

tabernaculum poni potest « etiam in alia ecclesiae parte vere pernobili et rite ornata », v. gr. in dextera parte sanctuarii, aut in abside.

AD RITUM SERVANDUM IN CELEBRATIONE MISSAE

Ad n. 22:

12. Utrum omitti possint preces ad gradus altaris, quando Laudes, recitatae a communitate choro non adstricta, Missam immediate praecedunt?

Resp.: Affirmative, si hanc Missam immediate subsequentem tota communitas participat. Negative, si post Laudes singuli sacerdotes eiusdem communitatis Missam privatim in altaribus minoribus celebrant.

13. Utrum preces ad gradus altaris faciendae omitti possint secundum n. 22 *Ritus servandi*, quando immediate ante Missam ad altare celebrationis, in quo habetur tabernaculum SS.mi Sacramenti, distribuitur sancta Communio? Nam in ritu distributionis iam habetur *Confiteor*, *Misereatur*, *Indulgentiam*, quae secus repeti deberent.

Resp.: Negative. Sunt duae actiones liturgicae omnino distinctae.

Ad n. 23:

14. Utrum ad *Gloria Patri*, quando in Missa occurrit, adhuc caput sit inclinandum?

Resp.: Affirmative, iuxta principia generalia.

15. Utrum antiphona ad introitum, post *Gloria Patri* repetenda, omitti possit, quia repetitiones secundum art. 34 *Constitutionis* sunt vitandae?

Resp.: Repetitio antiphonae ad introitum sequitur ex ipsa natura antiphonae; ideoque non est numeranda inter « repetitiones inutiles », de quibus art. 34 *Constitutionis*.

Ad nn. 41 et 44:

16. Utrum in Missa cum participatione mulierum tantum (e. g. in domibus religiosarum) mulier, rite edocta, munus lectoris possit assumere?